25-2-1955

# PIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI,

**ad perpetuam rei memoriam.** Evangelii paginae atque ceterarum Scripturarum testimonia id luculentissime ostendunt venisse Christum in terras, ut homines, semper ad ea quae sunt huius incertae vitae proni ac intenti, quaererent ante omnia regnum Dei et iustitiam eius (Matt. VI, 33) ac per fidei firmitatem et sinceram in Deum et homines caritatem ad caelos iter facere possent. Quod et Nos, Christum imitantes, universi gregis eius cura suscepta, vehementer cupimus et expetimus. Cum ergo in Vicariatu Apostolico de Finlandia sacerdotum labor, opitulante Dei gratia, magnos eosque laetos fructus in christiana religione diffundenda ediderit; cumque provideatur haud minora fidem catholicam incrementa in eadem regione esse capturam, si idem Vicariatus in dioecesis formam redigatur; Nos huiusmodi S. Congregationis Fidei Propagandae consilium probantes, post rem magna consideratione reputatam, eorum consensum supplentes qui in hoc negotio ius aliquod habeant vel arbitrentur se habere, de Nostra summa et apostolica potestate haec decernimus et iubemus. Apostolicum Vicariatum, cui appellatio est de Finlandia, ad dioecesis dignitatem evehimus, cui ab illustri Helsinki urbe, quae est princeps eius regionis, HELSINKIENSI cognomen indimus, omnibus iuribus et honoribus tributis quae ceteris Ecclesiis concedi solent ad hoc decoris evectis; eius vero Praesulibus non modo iura et potestates dari volumus, quae ad ceteros per orbem Episcopos iure pertinent, sed etiam onera et obligationes imponi. Helsinkiensis dioecesis erit Nobis et huic Apostolicae Sedi directo subiecta, atque iurisdictioni S. Consilii Fidei Propagandae rite obnoxia. Cuius praeterea dioecesis Episcopus domicilium in urbe Helsinki habebit; cathedram vero populo docendo collocabit in templo S. Henrici martyris, quo ad hodiernum diem tamquam pro cathedrali Vicarius utebatur. Curabit idem sacer Pastor ut in sua dioecesi seminarium exstruatur, recipiendis et educandis pueris, quos suavis Christi gratia ad sacerdotium invitaverit; itidem ut Canonicorum Collegium in cathedrali templo condatur, quorum maiestate sacrorum rituum splendor augescat, quorumque sincero consilio Episcopi opus iuvetur. Attamen usquedum hic sacerdotum coetus constituatur, concedimus ut, pro Canonicis Consultores dioecesani interim deligantur. Episcopalis mensa, quam vocant, iis bonis et pecuniis componetur, quae vel Curiae novae dioecesis obvenient, vel a populo christiano sponte dabuntur vel denique a S. Congregatione Fidei Propagandae mitti solent. Iura et obligationes cleri et populi, ea erunt quae Codice Iuris Canonici continentur; idem dicendum de electione Vicarii Capit., Sede vacante, de regimine, administratione, cura dioecesis, aliisque huiusmodi. Quae denique his Litteris praescripsimus efficienda curabit venerabilis Frater Villelmus Cobben, adhuc Vicarius Apostolicus de Finlandia et Episcopus titulo Amathusius in Palaestina Prima, quem hodie aliis Litteris cathedrali Ecclesiae Helsinkiensi praefecimus; cui omnes potestates agendae rei concedimus, cuilibet viro, si opus fuerit, subdelegandas, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Qui praeterea venerabilis Frater, re perfecta, documenta exarari iubebit, quorum exempla, sincere scripta, ad S. Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quod si casu eveniat ut, quo tempore sint haec decreta ad rem adducenda, alius Apostolico Vicariatui de Finlandia praesit, eidem negotii perficiendi onus iniungimus et ad id tribuimus facultates. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo quinto mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quinto, Pontificatus Nostri sexto decimo. = H. T. =

Celsus Card. Costantini
S.R.E. Cancellarius

Petrus Card. Fumasoni Biondi
Praefectus S. Cong.nis de Propaganda Fide

Hamletus Tondini, Apost. Cancell. Regens

+ Alfonsus Carinci, Arch. Seleuciens., Dec. Prot. Ap.
Albertus Serafini Protonotarius Apostolicus



Expedita die XXV Mar. anno Pontif. XVII = Al. Trussardi, pro Plumbatore =

In Canc. Ap. tab. Vol. XC N. 38

Oprichting van het Bisdom Helsinki

25 Februari 1955

zie A.A.S. 1955 pag. 483